





*le titre patrimonial*  
1716, 20

FACULTATIS JURIDICÆ,  
DECANUS  
ERNESTUS  
TENZELL,  
J. U. D.

JUDICII PROVINCIALIS ERFURTENSIS  
ASSESSOR, CIVITATIS CONSUL  
AC SYNDICUS PRIMARIUS,

L. B. S.

103

103

ERFORDIÆ,

TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,

ACAD. TYPOGR.

ED  
S.  
IE





**C**onjungi sæpè in jure solent Parentum & Patronorum officia *v. l. 4. seqq. ff. de in jus voc. §. f. J. de pæn. tem. ligit. t. t. ff. de obsequ. Par. & Patr. præst.* Sicuti enim Parentum officium est, tueri, & conservare; ita & Patronis idem officium incumbit. Ac sicuti officium Paternum est, dotare filias; Ita & qui ædificat Ecclesiam; ipso facto ad eam dotandam se obligare videtur. Neque etiam Patroni solum intuitu libertorum, sed & Ecclesiæ respectu dicuntur. Neque hi etiam demum Juri Canonico originem primitus debent, sed & è Jure Civili Romano, vestigia Juris hujusmodi medio tempore seculi sexti, cum neque Gratiani Decretum, neque Pontificum constitutiones adhuc extarent, satis apparent, in *Nov. 57 c. 2. Nov. 67. Nov. 123.* ubi mentio fit illorum, qui Ecclesiam ædificarunt, vel Clericis præbent annonas, quod jus habeant, statuendi Clericos.

ricos. Quod postea secuti Canones, quemad-  
modum in Concilio Toletano Constitutum. *Can.  
decernimus, c. 16. qu. 7.* Atque hoc jus Patrona-  
tus, quod Ecclesias concernit, brevibus est po-  
testas præsentandi clericum ad beneficium vacans,  
notante post *Hostiens. Engel. Colleg. Jur. Can. Tit.  
de Jure Patron. n. 1.* Alio vero sensu est cura tu-  
endi & defendendi personas Ecclesiasticas & jus  
Patronatus majus & superius denotat, à priori tan-  
quam minori, longe diversum. Principibus enim  
& Magistratibus veris unà cum cura status Rei-  
publicæ incumbit, Ecclesias & Scholas Patrocinio  
tueri, & defendere. Est enim Imperator custos  
utriusque tabulæ, & Jus publicum circa Sacra,  
Sacerdotes, & Magistratus versatur. Hinc ipsi Im-  
peratores Titulum Advocati Ecclesiæ suscipere  
non respuerunt. *v. R. U. de Anno 1530. §. auch  
solch / seq. §. de Anno 1541.* Quousque verò po-  
testas Summi Principis circa Sacra se se extenderit  
antiquis temporibus & in progressu, nostri nunc  
non est instituti disquirere. vide his *Schilter. de  
Libert. Eccles. German. Lib. 4. cap. 3.* Illud ta-  
men certum est per pacem Religiosam & in di-  
versis Imperii Comitibus, ordinibus Imperii. R. G.  
A. C. addictis, Jurisdictionem Ecclesiasticam Su-  
premam in suis Territoriis relictam esse, Jure Ter-

ritorii & Superioritatis v. *Sueder. de Jur. Publ. part. spec. Sect. 2. cap. 2. §. 1.* Jus præterea Patronatus minus, s. uti ante definitum, tria potissimum jura annexa habere, honorem, utilitatem & onus, & in quibus illa consistant, explicat inter alios *Engel. Coll. J. Can. T. de Jure Patron. n. 2. seqq. ubi n. 15.* illud vario etiam modo dividi observat, dum aliud est hereditarium, aliud verò familiare, seu Gentilitium; Aliud item activum, aliud passivum; aliud porro personale, aliud verò reale, seu Patrimoniale; pro diversitate vel concessionis, vel etiam antiquæ acquisitionis per præscriptionem. Potest quippe sufficere, ut alius fundum assignet, alius dotet, alius construat. *c. 16. qu. 6. C. Nobis de Jure Patron.* Undè est, quod tres Patroni in Ecclesiâ concurrere possint. Undè etiam aliquando restrictiori, aliquando verò pleniori jure competere potest. Ita Monasteriis circa parochias pleno jure incorporatas, multa privilegia tribuunt Dd. v. *Engel. de Privil. §. Juri- bus Monasterior. Privil. 46. de Unione pleno jure n. 5. seqq.* Ubi tamen *n. 8.* fatetur hæc in materia in quâ jura & Dd. valdè intricatè, & confusè loquuntur, plurimum tribuendum esse locorum consuetudini, concordis, & contractibus, & particularibus præscriptionibus. Non tamen indè Jus  
illum

ullum Patronatus, Jus Episcopale vel Jurisdictionem Ecclesiasticam tribuit, cum hæc pertineant ad Episcopum, cui suprema inspectio & potestas tam in re, quam in personas Ecclesiasticas competit, *c. 2. verb. destituunt, de suppl. neglig. Prelat. Matth. Stephan. de J. Patron. P. I. c. 7. n. 41.* Idem Engel ad Tit. de Jure Patron. n. 5. allegans Conc. Trid. Sess. 24. de Ref. cap. 3. in fin. *vers. Patroni*, add. Gail. Lib. 2 O. 54. n. 1. 6. & 7. Patrocinium tamen sæpè plus justo extendi, idem Gail d. n. 6. notat, & jam olim adversus Patronos potestate & indulgentiâ sibi concessâ abufos, in Concilio Toletano querelæ propositæ innuunt, vid. *Can. noverint caus. 10. qu. 1.* occurrit & præterea divisio Juris Patronatus in Ecclesiasticum, quod personæ Ecclesiasticæ nomine & ratione Ecclesiæ, Capituli: vel Monasterii competit; & Laicale, non tantum quod Laico competit, sed etiam quod à Clerico ex Patrimonio & Successione Paterna, vel alio Titulo seculari obtinetur, *Engel. d. l. n. 9.* Et inter illa Patronatus jura non paucæ intercedunt differentiæ, de quibus videri potest *Engel. d. l. n. 11. seq.* Non minima tamen videtur illa, quod Patronus Ecclesiasticus intrâ sex menses, Laicus autem intrâ quatuor præsentare debeat, *v. cap. 118. de Jure Patron. in 6to*, cujus rei hæc solet allega-

ri ratio, quod cum Patronus Ecclesiasticus in eo gravetur, quod unum tantum presentare possit ad Beneficium, in eo etiam relevetur, ut plus temporis habeat ad inquirendum de Clerico aliquo digno, & habili. Plura de hac re proponet occasione *d. c. un. de Jure Patron. in 6.* ad Lectionem Cursoriam electi

NOBIL. ET CLARISS. DOMINUS  
**M. ANDREAS Pechtel/**


De cujus Vitae Curriculo sequentia more recepto nunc recensenda. Primum ille aspexit in *Weichau Lusat.* d. 29. Mensis Maji Anno 1691. Patrem habuit *Dn. Andream Pechteln* / Rei Oeconomicae peritissimum, B. m. Matrem autem *Elisabetham*, honesti Civis *Senfftenbergensis, Arnholdii*, filiam, B. m. Curam primae aetatis uterque Parentum maximo suscepit studio, atque cum illi anni appropinquarent, quibus capax redditus animus ad recipiendam doctrinam pietatis, & bonarum artium, Gymnasium, quod Budissae floret, intravit. Ibidem per Octennium, & quod excurrit, publice & privatim studiis vacavit humanioribus: Imprimis plurimum se debere proficitur B. Manibus *Dn. Jentschii*, nec non B. Dn. Re-  
ctori,



tori, *M. Joanni Rosenbergio*, sub cuius Manu-  
ductione d. 14. Dec. 1708. Orationem habuit de  
Notitia sui ipsius in Naturalibus; Et sub Dn. Rect.  
*M. Ioan. Schulzio*, de Peste disseruit. Insuper et-  
iam gratam dicat mentem reliquis Collegis erudi-  
tissimis Dominis *B. Schwarzio*, *M. Bernavero*,  
*Müllero*, *Calmanno*, & *B. Gambarzovuski*. Re-  
lictis studiis Gymnasticis, relictaque publica  
valedictione die viridium, Anno 1711. sub mode-  
ramine Cl. Dn. Con-Rect. *M. Michaëlis Thymii*,  
hab. Lipsiam petiit, ibique d. 28. April. ejusdem  
anni, in numerum Civium Academicorum rece-  
ptus fuit, à Magnifico Rectore, Dn. D. *Ludero*  
*Menckio*, Consiliario Potentiss. Reg. Pol. & Ele-  
ctor. Saxon ac Facultatis Juridicæ Lipsiensis Ord-  
nario. Lipsiæ igitur per trium fermè annorum  
spatium, sub Manuductione Dn. D. *Mülleri*, Pl.  
Rever. Dn. *M. Hommelii*, Clariss. *Altmanni*, aliq-  
rumque, potissimum, Philosophiæ se dicavit, ibi-  
demque Gradum Magisterii sub Decanatu Magni-  
fici Dn. D. *Joh. Burchardii Menckenii*, d. 9. Febr.  
Anno 1713. acquisivit. Deindè post oblitum Bea-  
torum Parentum, ad studium Juris sese applicavit,  
& imprimis audivit Consult. Dn. D. *Joann. Frider.*  
*Olearium*, Pand. P. P. Dn. D. *Joann. Florent. Ri-*  
*vinum*, Dn. D. *Philippi*, Dn. D. *Dägerum* ac  
*Kästnerum*,

ED  
AS.  
IE

*Kästnerum*, A dvoc. Immatricul. aliosque. Tandem hanc nostram perantiquam Geranam adiit Speciminum eruditionis edendorum gratiâ. Exposito itaque Facultati nostræ desiderio isto ; & textus more Majorum explicandos transmisimus ex Utroque Jure , & tempus Examini rigoroso, as signavimus. Quibus ritè peractis, decreto Facultatis ad ulteriora specimina janua ipsi aperta. Quare proximo die 19. Octobr. post horam 7mam matut. in Collegio Jctorum Majori Lectionem cursoriam ad *d. cap. un. de Jure Patron in 6to*, & eadem finitâ Disputationem Inauguralem de *Dotalibus Ecclesiæ*, J. A. ! habebit. Ad quos Actus solennes Dnn. Universitatis Nostræ Proceres LL. Cultores solenniter invitantur. Publicatum sub Sigillo Facult. Jurid. *Dom. 19. post Trin. Die 18. h. Oct. Anno MDCC XVI.*



ULB Halle  
001 972 26X 3



*s. b.*







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

*omnes*  
6, 20

33

JURIDICÆ,  
ANUS  
STUS  
CELL,  
D.

ALIS ERFURTENSIS  
ATIS CONSUL.  
PRIMARIUS,

DIA,  
RICI GROSCHII,  
YPOGR.

ED  
S.  
IE